

*Dominus. Ps. 94, 12. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tuâ docueris eum. Ps. 119, 33. Doce me, Domine, viam justificationum tuarum. Matth. 16, 17. Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Joh. 1, 18. Filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis.*

LXXV. Sed committunt ignorationem Elenchi, quando invicem opponunt causam principalem & instrumentalem, quæ sibi potiùs subordinantur, nec se invicem excludunt, sed includunt. DEUS enim nos illuminat, erudit & convertit non immediatè, sed mediante Ministerio. *Evangelium enim est potentia DEI ad salutem, Rom. 1, 16. Est ministerium Spiritus, 2. Cor. 3, 8.* Unde etiam personis Ministerio fungentibus non minùs, quàm ipsi verbo attribuitur salvatio, *1. Tim. 4. v. 16.* non quidem ratione *personæ*, sed *officii.*

LXXVI. Ergò actio DEI in nostri illuminatione & conversione non opponenda est mediis ordinariis. Licet enim à se invicem distingvantur, & non eodem modo agant: non tamen à se invicem separantur, sed conjunctim agunt, ita, ut DEUS per verbum nos illuminet ac convertat. Aliàs falsissima essent dicta à nobis allata, quibus expressè verbo vis & efficacia illuminandi & convertendi nos attribuitur; quod absurdissimum.

LXXVII. Concurrunt verò virtus DEI interna, seu operatio, & media ordinaria non ex simplici aliquâ necessitate, sed ex liberâ DEI voluntate. *1. Cor. 1, 21. Placuit DEO per stultitiam predicationis salvos facere credentes.*

LXXVIII. Unde palam est, DEUM, vi ordinariâ, in nostri conversione & illuminatione non agere quicquam absque verbo & Sacramentis, uti *Augustana Confessio art. 5.* habet: *Ut fidem consequamur, institutum est Ministerium docendi*

*cendi*